



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XI. Quod in causa filiationis contra communem viciniaie opinionem
standum est verbo viri & mulieris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

confirmari: e contra proposuisti, quod post appellationem in vos sententiam excommunicationis protulisset, & ob hoc duxisti nullius momenti fuisse: adiecisti etiam tam tu, quam altera pars, quod testes fuerunt hinc inde producti, & attestaciones eorum receptæ. Nos autem auditis & cognitis rationibus & allegationibus vtriusque partis, & attestacionibus inspectis diligenter, cum constaret vestros testes iurasse, quod post appellationem sententia in vos lata fuisset: & testes archiepiscopi iuramento confirmassent, quod ante appellationem sententiam in vos tulerit: dicta testium benigne interpretari, ac providere volentes ne de periurii reatu notentur: quia vtrumque verum esse potuit, quod post primam appellationem & ante secundam sententia lata fuerit: de communi consilio fratrum, eandem sententiam denuntiamus & decernimus non tenere. Vt autem hic nostræ diffinitionis, &c.

Testium dicta quomodo interpretanda.

CAP. XI. *Idem Rothomagensi archiepiscopo.*

Transmissæ nobis literæ tuæ continebant, quod cum Nicolaus Sagantinus vsque ad iuuentutem puerum quemdam nutriuisset, vxore sua nondum matrimonio desponsata cum eo cohabitante, postmodum ipsam, sicut creditur, legitime desponsauit, & de ipsa filios sustulit. Quibus paternam hereditatem petentibus, prædictus iuuenis contradicit, dicens se filium & heredem, quamuis a vicinia, quæ ipsum filium eorum credebant, spurius diceretur. Prædictus vero Nicolaus & vxor eius Mathildis, præfatum iuuenem spurium suum aut legitimum filium omnino negabant, sed dicebant quod pietatis intuitu eum nutriuissent. Cum autem quæstio coram te mota est, & prædictus iuuenis pro eo quod iuri stare nolebat, vinculo excommunicationis sit adstrictus, quid de hoc agere debeas, nos consulere voluisti. Super quo ita consultationi tuæ taliter respondemus, quod in tali casu standum est verbo viri & mulieris, nisi certis indiciis & testibus prædictum iuuenem tibi constiterit eorum esse filium.

In causa filiationis cõtra communem viciniam opinionem, viri & mulieris verbo standum.

CAP. XII. *Idem Placentino episcopo.*

Fraternitatis tuæ literis nos consuluisti, vtrum noui testes super quæstione iudicata, in qua testibus renuntia-

tum